

Bene agere: divites fieri in operibus bonis. Non in auro & argento.

Facile tribuere: communicare. Qui facile tribuit, cito dives esse cessabit. Tribuere, donare est: communicare verò, multum dare.

Traurizare sibi fundamentum bonum in futurum. Vade vende omnia quae habes, & da pauperibus: & habebis thesaurum in caelo: & veni sequere me: quod perfectionis est fundamentum.

Ut apprehendant veram vitam. Haec enim non est vera vita, quae in suo non permanet statu. Vanitas enim sub sole: dicit Ecclesiastes.

O Timothee, depositum custodi. Commendatum à nobis servandum tibi fidei depositum custodi.

Devitans prophanas vocum novitates. Quod à me non audisti, nec ab angelo si dicatur libenter admittas.

Et oppositiones falsi nominis scientiae: quam quidam promittentes, circa fidem exciderunt. Artis dialecticæ, per quas sibi infinitam rerum scientiam hæretici promittunt, & ideo à fidei veritate cadunt.

Gratia tecum, Amen. Permaneat in æternum.

Explicit Commentarius in primam Epistolam ad Timotheum.

COMMENTARI
IN SECUNDAM EPISTOLAM
AD TIMOTHEUM

Caput I.

PAULUS Apostolus Jesu Christi per voluntatem Dei. Non meis meritis: sive à Christo missus, non sine Dei voluntate.

Secundum promissionem vitae quae est in Christo Jesu. Condignum exhibens promissione servitium.

Timotheo charissimo filio. Charissimo, id est cæteris charior.

Gratia & misericordia, & pax à Deo Patre, & Christo Jesu Domino nostro. Talis est salutatio Pauli, ut in ea omnia patriis, & Christi beneficia memorentur.

Gratias ago Deo meo. Deo qui nos talem in alterutrum docuit charitatem.

Cui servo à progenitoribus meis in conscientia pura. Omnis origo mea coluit unum Christum: non malevolentia, sed legis emulatione vastabam.

Quod sine intermissione habeam tui memoriam in orationibus meis, nocte ac die desiderans te videre. Et charitatem ostendit, & jugiter orandi præbet exemplum.

Memor lachrymarum tuarum, ut gaudium implear. Quas pro me abundè profudisti, ut & me ad tristitiam provocares: quas tua adopto præsentia relevari.

Recordationem accipiens ejus fidei quae est in te non ficta: quae & habitavit primum in avia tua Loida. Quæ verè te esse in operibus comprobavit: sicut Jacobus definit: & quæ ad te ex avia successione institutione, quasi hereditario jure descendit.

Et matre tua Eunice. Quia prior credidit.

Certus sum autem quod & in te. Propter quam causam admoneo te. Quia comprobavi fidem tuam, commoneri indiges, non doceri.

Ut resuscites gratiam Dei. Quasi tribulationibus dormitantem.

Quae est in te per impositionem manuum mearum. Ad Episcopatum scilicet.

Non enim dedit nobis Deus spiritum timoris, sed virtutis. Contemnendi penas. Illi merito humana supplicia videntur formidare qui peccant: ut alibi dicit: Si autem malefeceris, time.

Et dilectionis, & sobrietatis. Sive pro Domino: sive pro alterutro. Libenter etiam moriamur, ut omnia sobria mente faciamus.

Noli itaque erubescere testimonium Domini nostri: neque me vinculum ejus. Quia nihil confusione dignum Christus exer-

cuit: sed nec ego quem nosti, ob aliquod crimen, sed propter Deum hæc omnia quæ patior sustineo.

Sed collabora Evangelio. Tua conversatione, sive doctrina.

Secundum virtutem Dei. Quæ sua causa adjuvat laborantes.

Qui nos liberavit, & vocavit vocatione sua sancta. Scilicet à peccatis.

Non secundum opera nostra, sed secundum propositum suum, & gratiam, quae data est nobis in Christo Jesu. Quo proposuit nos gratis salvare per Christum.

Ante tempora secularia. Quantum ad præscientiam Dei, ante sæcula jam donavit. Nam homines solent filiis parare prædia, priusquam nascantur.

Manifestata est autem nunc. Quæ antè latebat.

Per illuminationem Salvatoris nostri Jesu Christi. Verbis scilicet & exemplis.

Qui destruxit quidem mortem: illuminavit autem vitam, & incorruptionem. Doctrina sua, & conversatione destruxit peccata, quæ mortem hominis generabant, & ostendit quomodo vita, & incorruptio quaeratur.

Per Evangelium. Volentes docuit, non coëgit invitos.

In quo positus sum ego prædicator, & Apostolus, & magister gentium. Ad comparationem aliorum possunt dici magistri. Ad comparationem nemo magister verus.

Ob quam causam etiam hæc patior. Non ob aliquod crimen, sicut nos pati Petrus hortatur dicens: Nemo vestrum patiatur quasi homicida: si autem ut Christianus, non erubescat.

Sed non confundor. Hic non erubescit in catenis, cum nos in folis opprobriis confundamur.

Scio enim cui credidi, & certus sum quia potens est. Scio enim eum fidelem, & potentem.

Depositum meum servare in illum diem. Apud me ipse quod deposuit, conservabit: sive quod ego apud illum commendo, restituet in futuro.

Formam habe sanorum verborum, quae à me audisti in fide, & in dilectione in Christo Jesu. Secundum meam formam vide & doce, quam à me breviter accepisti, quomodo integrè credere, & alterutrum diligere debeamus.

Bonum depositum custodi, per Spiritum sanctum qui habitat in nobis. Quod apud te per Spiritum sanctum commendavi: adjutorio ejus depositum custodi.

Scis enim hoc, quod aversi sunt à me omnes qui in Asia sunt: ex quibus est Phygelus, & Hermogenes. Idcirco te commoneo, quia quos non putabam me dereliquerunt.

Dei misericordiam Dominus Onesiphori domui: quia saepe me refrigeravit: & catenam meam non erubuit. Vituperat defertores, & laudat permanentes: ut deterreat ab imitatione mala, & ad exemplum provocet bonum.

Sed cum Romam venisset, sollicitè me quaesivit, & invenit. De illi Dominus invenire misericordiam à Domino in illa die. Et quanta Ephesi ministravit mihi, in melius nosti. Idcirco invenit, quia sollicitè quaesivit: unde & ostendit, quia idcirco non omnes quaerentes inveniunt: quia negligenter inquirent.

Caput II.

TU ergo, fili mi, confortare in gratia quae est in Christo Jesu: & quae audisti à me per multos testes. Sive praesentibus multis, tibi dedi mandata qualiter docere debeas: sive quæ dixi multis Prophetarum exemplis, & testimoniis confirmavi.

Hæc commenda fidelibus hominibus. Qui fideliter possunt gratiam Dei dispensare: hoc est, solius Dei causa prædicare.

Qui idonei erunt & alios docere. Non solum ipsi facere, sed & alios erudire.

Laborem sicut bonus miles Christi Jesu. Ideo milites dicimur, quia hostes habemus, contra quos laboriosè debemus dimicare.

Nemo militans Deo, implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat cui se probavit. Comparatione militantium utitur: ut ostendat multo magis nos à negotiis secularibus liberos esse debere, ut Christo placeamus: cum etiam sæculi milites à reliquis actibus vacent, ut possint imperatori suo placere perfectè.

Nam & qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime.

Nam & qui certat in agone, non coronabitur nisi legitime.

certaverit. Alia comparatione id ipsum dicit. Multi enim certant: sed ille solus qui tota virtute vicerit, coronatur.

Labourantem agricolam oportet primum de fructibus accipere. Ne diceret: unde ergo victurus sum, si me totum occupavero in doctrina: ostendit eum primitias fructuum à populo debere accipere, præter mercedem quam à Domino accipiet in futuro.

Intellige quae dico. Dabit enim tibi Dominus in omnibus intellectum. Eorum quæ propter quaerentes occasionem, comparationis velamine fuerant obumbrata.

Memor esto Dominum Jesum Christum resurrexisse à mortuis, ex semine David. Hoc contra illos qui carnis resurrectionem negant, consequenter etiam Christi negabant: sed & adversus illos qui negant Christum in carne venisse: quos Joannes antichristus appellat.

Secundum Evangelium meum. Secundum quod me prædicare non necitatis.

In quo laboro usque ad vincula quasi malè operans. Non tamen malè.

Sed verbum Dei non est alligatum. Quia & praesentes fideliter doceo, & literis absentes confirmare non cesso.

Ideo omnia sustineo propter electos. Ideo tribuni auxilium petivi, ac postea Cæsarem appellavi, ut per me confirmetur, cum has passionem poterim moriendo finire.

Ut & ipsi salutem consequantur quae est in Christo Jesu cum gloria caelestis. Quæ salus in Christo, sed non nuda, sed gloria vestita: nec terrena gloria sed caelestis.

Fidelis sermo: nam si commortui sumus, & convivemus. Veritatis ratione subnixus. Si enim à vitiis, & voluptatibus sumus commortui Christo, vivemus cum illo. Alioquin quomodo sperare poterimus hoc?

Si sustinemus, & conregnabimus. Si sustinuerimus cum necesse fuerit quod ille sustinuit, tunc demum regnare poterimus simul.

Si negaverimus, & ille negabit nos: si non credimus, ille fidelis permanet: negare seipsum non potest. Sive credamus, si non credamus: non aliud potest exhibere singulis quam promittit. Quia veritas contra se non faciet, ne se negare videatur.

Hæc commune testificans coram Deo. Sub testificatione Dei confringe.

Noli contendere verbis, ad nihil enim utile est, nisi ad subversionem audientium. Sine testimoniis scripturarum hujusmodi etiam contentio non adificat, sed destruit audientes: putant enim omnia acumine, & subtilitate subfistite: Sive: noli verbis vincere, sed factis.

Sollicitè autem cura te ipsum probabilem exhibere Deo. Ante omnia hoc labora, ut talem te apud Deum exhibeas, quomodo merito possit tibi populus obaudire.

Operarium inconfusibilem. Ita vive ne dicta factis deficientibus erubescant.

Rectè tradantem verbum veritatis. Ille rectè tractat, qui exemplis sua dicta confirmat. Ornamentum enim vitæ, doctrina: firmamentum verbi, opus.

Prophana autem & vaniloquia devota. Multum enim proficiunt ad impietatem. Irreligiosas hæreticorum fabulas, qui negant resurrectionem, per quas utique judicis timore sublati, ad omnem impietatem, & ad cuncta crimina perveniunt.

Sermo eorum ut cancer serpit. Cancer dicitur vulnus quod in mammillis nascitur ferminarum: cui nisi citò subventum fuerit, cum virus ad cor serpendo pervenerit, nullum remedium est. Ita & hæreticorum sunt vitanda colloquia: ne per aures irremediabiliter vulnerent mentes.

Ex quibus est Hymeneus, & Philetus, qui à veritate exciderunt. Nomina signat, ut noverit quos debeat præcavere.

Dicentes resurrectionem jam factam, & subverterunt quorundam fidem. In filiis, sive ossa vivificata in Ezechiele Israelis, interpretabantur de captivitate collecta quasi resurrectione.

Sed firmum fundamentum Dei stat, habens signaculum hoc. In quorum corde fides Christi erat fundata, non sunt seducti vel moti: & hoc quia Dei essent habentes judicium, sicut Moyse tempore fuit in quo Dathan, & Abiron subversis sunt: non simul cum impiis perierunt, Deo illos esse optimos cognoscen-

te, ut in Numeri scriptum est libro.

Cognovit Dominus qui sunt ejus: & discedat ab iniquitate omnis qui invocat nomen Domini. Ut Sion simul pereat cum iniquis.

In magna autem domo. Magnam domum, non Ecclesiam dicit, ut quidam putant, quæ non habet maculam neque rugam: sed mundum. Unde ait Jeremias: O Israel quàm magna est domus Domini & cætera. In qua sunt zizania mixta cum tritico: nam resurrectionem negantes, in Ecclesia esse non possunt.

Non solum sunt vasa aurea & argentea. Pretiosa & fortia.

Sed & lignea & fictilia. Infirma.

Et quedam quidem in honorem, quadam autem in contumeliam. Si quis ergo se emundaverit ab istis, erit vas in honorem sanctificatum: & utile Domino ad omne opus bonum paratum. Si quis se à doctoribus hæreticis mundaverit, & crediderit in resurrectionem futuram, judicium Dei, per omne opus bonum implere studet.

Juvenilia autem desideria frige. Quia hi ex senioribus esse non possunt si hæc agant quæ gravitati non conveniunt Christianæ: & à juvenibus vincuntur, si habeant levitatem.

Seclare vero justitiam, fidem, spem, charitatem. Hic fidem integritatem dicit.

Et pacem. Illam pacem quæ religioni debetur.

Cum his qui invocant Dominum de corde puro. Beati mundo corde: de quibus dicitur, quid me vocatis Deum, & non facitis quæ dico?

Stultia autem & sine disciplina quaestiones devota: sciens quia generant lites. Stultæ omnes, & sine disciplina legis sunt quaestiones.

Servum autem Domini non oportet litigare. Servus est Christi, qui non clamavit neque contendit, neque audit quicquam vocem ejus, secundum quod Doeg Propheta prædixit.

Sed mansuetum esse ad omnes. Non solum ad amicos.

Docibilem, patientem, cum modestia corripientem eos qui resistunt veritati. Omnes semper docere patienter, non in furore, sed cum modestia.

Nequando det illis Deum penitentiam ad cognoscendam veritatem: & respiciant à diaboli laqueis: à quo captivi tenentur ad ipsius voluntatem. Non de Dei bonitate dubitat, sed de accipientium pravitate. Det illis Deus perpetuam, mitem, blandamque correptionem, ut accepta ratione respiciant. Simul & contra Novatianos penitentiae negatores, qui hæreticos conversos veniam non posse consequi perhibent.

Caput III.

HOC autem scito, quia in novissimis diebus inabunt tempora periculosa. Non tibi mirum quod quotidie pejora veniunt.

Et erunt homines seipso amantes. Non Dei gloriam, sed sua quaerentes.

Cupidi, elati. Avari & in avaritia iactabundi.

Superbi, blasphemii. Cum nolint discere, doctrinam usurpant.

Parentibus non obedientes, ingrati, scelesti, sine affectione. Veteribus scilicet doctoribus, qui eos per Evangelium genuerunt.

Sine pace, criminatores. Pacis sanctorum.

Incontinentes, immites, sine benignitate. In omnibus vitiis.

Proditores. Invicem occupantes.

Protervi, tumidi, & volupratum amatores magis quam Dei. Sollicitudo iudicium est abundantioris amoris: qui enim sæculi voluptates quàm Domini præcepta libentius audit, aut loquitur, talis est.

Habentes speciem quidem pietatis. In habitu vel doctrina.

Virtutem autem ejus abnegantes. Ipsam rem operibus abnegantes.

Et hos devota. Ne corrumpant mores bonos, colloquia prava.

Ex his enim sunt qui penetrant domos, & captivos ducunt mulierculas oneratas peccatis. Illas capiunt quæ sunt oneratae peccatis: impunitatem illis ac veniam promittentes: sive infirmas mentes, quæ feminis comparantur.

Quae auferuntur variis desideriis. Nova semper discere cupientes.

Semper discetes, & nunquam ad scientiam veritatis pervenientes. Quia nihil definitum tenent: quisque traditiones vult tenere diversas, non probatas. Ab uno enim dicta ab alio delstruuntur.

Quemadmodum autem Jannes, & Jambres resistunt Moysi: ita & hi resistunt veritati. Sicut illi per magicæ artis praeestigias: ita & isti per argumentorum fallaciam. Simulque ostendit Moysen veritatis fuisse doctorem, adversus obtractatores veteris testamenti.

Homines corrupti mente: reprobi circa fidem. Tam moribus corrupti, quam circa fidem reprobi.

Sed ultra non proficiunt. De omnibus haeticis dicit, sed de his quos tunc cito noverat in spiritu destruendos. Ceterum ipse inferius quosdam in pejus profecisse praedixit.

Inspicientia enim eorum manifesta erit omnibus: sicut & illorum fuit. Confessi sunt fe Dei digito superatos.

Tu autem affecutus es meam doctrinam: institutionem, propositum, fidem, longanimitatem, dilectionem, patientiam. Plus tibi crede de me quam illis: sive idcirco tibi non timeo, quia scio te doctrinam, & virtutem meam optime cognovisse.

Persecutiones, passiones: qualia mihi facta sunt Antiochie, Iconii, Lystris: quales persecutiones sustinui. Ex his potuisti cognoscere, me nihil propter homines facere, qui tanta sum passus.

Et ex omnibus eripuit me Dominus. Ita & te de omnibus eripiet, si sequaris.

Et omnes qui pie volunt vivere in Christo Jesu, persecutionem patientur. Non solum ego, sed & omnes qui non occidunt animas in adulando. Timendum ergo nobis est, ne non pie vivamus, qui nihil patimur propter Deum.

Mali autem homines, & seuctores proficiunt in pejus, errantes, & in errorem mittentes. Hoc de adulatoribus dicit, qui dum à stultis hominibus diliguntur, magis decepti decipiunt: sive de haeticis accipiendum.

Tu vero permansisti in his qua didicisti. Nolo ista te terreat, vel seducant.

Et credita sunt tibi. A Deo per nos. Sciens à quo didicisti. Et quia ab infantia sacras literas nosti. Sive à vero Apostolo, sive per legem à Deo.

Quae te possunt instruere ad salutem, per fidem qua est in Christo Jesu. Sine fide enim Christi, jam non sufficiunt ad salutem.

Omnes enim scriptura divinitus inspirata, utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia: ut perfectus sit homo Dei ad omne opus bonum instructus. Ideo data est legis instructio, ut ejus consilio cuncta facientes, justè justa faciamus.

Caput IV.

TESTIFICOR coram Deo & Christo Jesu, qui iudicaturus est vivos & mortuos: & per adventum ipsius, & regnum ejus. Contestatur illum per universa quae credit religio Christiana, ut verbum Dei instanter annunciet. Qui iudicaturus est vivos & mortuos. Quia vivos inveniet, mortuos suscitabit.

Prædica verbum: instat oportune, importune. Opportunum est, libenter audire. Importunum est, invito prædicare.

Argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina. Argue peccantes, contestare nec peccent. Increpa resistentes: sed hæc omnia cum patientia, & secundum doctrinam.

Erunt enim tempus cum sanam doctrinam non suscipiant. Veram & perfectam: sicut Israel audire noluit Prophetas.

Sed ad sua desideria concervabunt sibi magistros. Tales magistros inquirent, qui ea dicunt quae ipsi audire desiderant: securi delinquant.

Explicit Commentarius in secundam Epistolam ad Timotheum.

Præcipientes auribus. Qui delectare desiderant, non compungere.

Et à veritate quidem auditum avertent: ad fabulas autem convertentur. A veritate legis, quæ vitia damnat: ad rationes humanas, quæ Deum ut piùm non vindicaturam esse concinnant.

Tu vero vigila: in omnibus labora. Quæ ad utilitatem pertinent audientium.

Opus fac Evangelista. Verbum tuum, operibus conformetur.

Misererem tuum imple: sobrius esto. Episcopatus scilicet. Non enim semper ero in corpore, ut valeam commoneere.

Ego enim jam delibor, & tempus resolutionis meae instat. Mortem suam, sacrificium Deo futurum dixit, ut cum ad martyrium provocet.

Bonum certamen certavi, cursum consummavi. Modo jam confidenter hoc dicit, in extremo vite limite constitutus: comparatione autem utitur in agone certantium.

Fidem servavi. Fidem suscepti officii in finem usque servavi.

In reliquo reposita est mihi corona justitia: quam reddet mihi Dominus in illa die iustus iudex. Qui novit me usque ad mortem pro justitia dimicasse.

Non solum autem mihi. Quia non personis debetur meritum, sed labori.

Sed & his qui diligunt adventum ejus. Qui gaudent adventum Domini libenter expectent.

Festina ad me venire cito. Demas enim me dereliquit, diligens hoc seculum, & abiit Thessalonicam. Necesse erat ut diligens seculum, non amantem seculum relinqueret. Omne enim animal ad sibi simile conjungitur.

Crescens in Galatiam. Titus in Dalmatiam: Lucas est mecum solus. Isti missi sunt, non deseruerunt.

Marcum assume, & adduc tecum: est enim mihi utilis in ministerio. Tychicum autem misi Ephesum. Verbi Dei, vel cujuslibet necessitatis.

Penulam quam reliqui Troade apud Carpum, veniens affer tecum, & libros, maxime autem & membranas. Non dixit penulam meam: potuit enim conversus aliquis ad pedes ejus, inter cetera imposuisse vendendam.

Alexander ararius multa mala mihi ostendit: reddet illi Dominus secundum opera ejus. Quoniam verbis Dei resistit: cum habebant rationem.

Quem & tu devota. Monet caveri latrantes. Valde enim resistit verbis nostris. Si noluerit resistit, quanto magis tuis?

In prima mea defensione nemo mihi affuit, sed omnes me dereliquerunt: non illis imputetur. Quando primum cepi Evangelium defendere.

Dominus autem mihi assistit, & confortavit me. Cum dicit sibi Dominum in omnibus affuisse: ne timeat cohortatur.

Ut per me prædicatio impleatur: & audiant omnes gentes: Non quod ego mori timerem.

Et liberatus sum de ore leonis. Persecutoris. Liberavit me Dominus ab omni opere malo. Ab insidiantium malignitate.

Et salvum faciet in regnum suum caeleste. Quomodo hic liberat, ita in regnum ducit.

Cui gloria in secula seculorum: Amen. Saluta Priscum & Aquilam, & Onesiphori domum. Erastus remansit Corinthi. Ob hæc omnia.

Traphimum autem reliqui infirmum Mileti. Festina ante hyemem venire. Salutant te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Claudia, & fratres omnes. Hic probatur quia non propter sanitate carnalem tantum Apostoli curabant, sed ut etiam signa monstrarent: quia hic suum discipulum non curavit.

Dominus Jesus Christus cum spiritu suo. Quia carne mortuus, spiritaliter vivis.

Gratia vobiscum. Amen.

COMMENTARIUM IN EPISTOLAM AD TITUM

Caput I.

PAULUS servus Dei. Non peccati. *Apostolus autem Jesu Christi. Non omnis servus Apostolus. Ideo autem Christi: quia ab ipso missus fuerat prædicare. Secundum fidem electorum Dei, & agnitionem veritatis: quæ secundum pietatem est in spem vite æternæ. Secundum eam fidem, qua credentes electi sunt, cum cognoscerent veritatem: quæ agnitio non ex merito est, sed ex dominica veritate.*

Quam promisit, qui non mentitur, Deus. Si non mentitur, non exhibet aliud quam quod promisit, justis, scilicet, & injustis: quamvis hominibus durum esse videatur.

Ante tempora secularia. Ante omnia tempora apud se proposuit per filium salvare credentes.

Manifestavit autem temporibus suis verbum suum. Tunc manifestavit consilium suum, quando præseriat factum esse, omnem scilicet mundum à justitia diversum.

In prædicatione: quæ credita est mihi secundum præceptum Salvatoris nostri Dei. Quo Paulum & Barnabam segregare præcepit, ut gentibus prædicarent.

Tito dilecto filio, secundum communem fidem: Gratia & pax à Deo Patre & Christo Jesu Salvatore nostro. Secundum fidem filius, non natura.

Hujus rei gratia reliqui te Creta: ut ea quæ defunt, corrigas: & constituas per civitates presbyteros: sicut & ego disposui tibi. Quæ defunt, recto tenore corrige: & tunc denique presbyteros poteris ordinare, cum omnes in Ecclesia fuerint recti.

Si quis sine crimine est, unius uxoris vir. Notandum quod in sacerdotibus etiam aliis licita prohibentur.

Filios habens fideles, non in accusatione luxuria: aut non subditos. Ne non possit audenter corripere delinquentes: sive ut experimentum ejus doctrinæ, de domus suæ disciplina noscatur.

Oportet enim Episcopum sine crimine esse. Ipsum dicit Episcopum quem superius presbyterum nominavit.

Sicut Dei dispensatorem. Si ergo humanarum legum dispensatores presbyteri quaeruntur, & justis quales esse debent qui divina jura dispensant?

Non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum. Non debet discipulus Christi percutere: qui percussus est, & non repercutit. Non turpe lucrum adulando læctari: terrenum scilicet, qui cælestia & divina promittit.

Sed hospitalem. Primò vitia damnant, ut virtutes infereant, secundum consuetudinem scripturarum.

Benignum. Ut hospites non cum tristitia, sed cum benevolentia suscipiat.

Sobrium, justum, sanctum, continentem. Incontinentiam vel continentiam nunquam Apostolus, nisi in causa luxuria: justum iudicio, continentia sanctum: ne quia unius uxoris fecerat mentionem, locum incontinentiæ dedisse putaretur.

Amplèctentem eum qui secundum doctrinam est fidelem sermonem. Diligentem doctrinam, & semper inde loquentem non fabulas seculares & vanas.

Ut potens sit exhortari in doctrina sana: & eos qui contradicunt arguere. Talis eligendus est, qui exhortari possit, & contradicentes arguere in doctrina sana, quæ sanat audientes, sive quæ nulla fallitate corrupta est.

Sunt enim multi etiam inobedientes, vaniloqui & seductores. Apostolica doctrinæ non obtemperantes, & ad nullum profectum loquentes.

Maximè autem qui de circumcissione sunt. Qui humanas potius traditiones observant, quam divina mandata.

Quos oportet redargui, qui universas domos subvertunt, do-

centes qua non oportet, turpis lucri gratia. Quæ jam superflua temporibus Christi: ceremonias autem Judæorum ab eis doceri dicit.

Dixit quidam ex illis proprius ipsorum Prophetæ. Callimachus scilicet. Vide quales sunt, qui etiam à suis tale testimonium promerentur.

Cretenses semper mendaces: Amantes mentiri, noxii oratores, pariter otiosi.

Mala bestia: ventres pigri. Ideo ferias, & otia libenter admittunt.

Testimonium hoc verum est. Quam ob causam, increpa illos dure, ut sani sint in fide: non imitantes Judæicis fabulis, & mandatis hominum. Traditionibus humanis, de quibus Dominus in Evangelio Judæis loquitur: secundum Isaiam, Dominum non in corde, sed in labiis honorantes.

Aversantium se à veritate. Novi scilicet testamenti. Omnia munda, mundis. Quia adhuc secundum legem immunda vocabantur.

Coinquinatis autem & infidelibus. Coinquinati, & infideles sunt, qui non credunt jugum legis à collo credentium Dominum abstulisse: id est, omnia quæ temporaliter fuerant instituta.

Nihil est mundum. Eorum quæ in scientia eorum immunda judicantur.

Sed inquinata sunt eorum, & mens, & conscientia. Etiam in hoc ipso.

Confitentur se nosse Deum, factis autem negant. Se melius Christum dicunt nosse ut ex lege promissum: sed factis ejus adventum negant: cum se sine legis auxilio putant justificari non posse.

Cum sint abominati & incredibiles: & ad omne opus bonum reprobi. In sola confessione legis religiosiores se dicunt, cum illa non faciant quæ quaeruntur.

Caput I I.

TU autem loquere qua decet sanam doctrinam. Quæ ad vitam pertinent Christi.

Senes: ut sobrii sint, pudici, prudentes, sani in fide, in dilectione: in patientia. Hic senes ætate, & ordine possunt intelligi, Ecclesiæ præcipue seniores, quibus omnibus forma præbere necesse est.

Anus similiter. Quæ ad aliarum eligebantur exemplum.

In habitu sancto: non criminatrices. Habitus enim non sanctus est, de quo alibi dicit: Non tortis crinibus, & reliqua.

Non multo vino servientes. Sed parvo utentes. Bene docentes, ut prudentiam doceant. Docere illis permittit, sed feminas: & hoc non in Ecclesia, sed privatim.

Adolescentulas, ut viros suos ament, filios suos diligant prudentes, castas, sobrias. Non alienos: sive ideo dicit: ne aliæ quæ continententes erant, non diligerent viros suos: & verbum Dei tanquam dissidium prædicans culparetur.

Domus curam habentes. Ne viros suos in aliquo contristarent.

Benignas, subditas viris suis: ut non blasphemetur verbum Dei. Ne vel ipse blasphemet, si gentes sunt, vel alii videntes eas peiores effectas quam fuerant ante fidem.

Juvenes similiter hortare, ut sobrii sint. Auferentes ab eis causam luxuriæ.

In omnibus. Quæ junguntur, sive non solum corpore, sed & mente.

Teipsum præbe exemplum bonorum operum. Ne exemplum detestras verbum: & ut audenter corripias delinquentes.

In doctrina, in integritate, in gravitate. Quo solum-